

www.e-rara.ch

Sancti Gregorii Papæ I. Cognomento Magni Liber Regulæ Pastoralis

Gregor

Augustæ Vindelicorum, MDCCLVII

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: Rm 93: f

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-54656>

Secunda pars.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.


e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



SECUNDA PARS.

DE

(a) VITA PASTORIS.

CAPUT I.

Is qui ad regimen ordinatè pervenerit, qualem se in ipso regimine debeat exhibere.

AL. XII.

Imago Pa-
storis op-
timi.

Tantum debet actionem populi actio transcendere Præfulis, quantum distare solet à grege vita pastoris. Oportet namque ut metiri sollicitè studeat, quanta tenendæ rectitudinis necessitate constringitur, sub cujus æstimatione populus grex vocatur. Sit ergo necesse est cogitatione mundus, actione præcipuus, discretus in silentio, utilis in verbo, singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus, bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiæ erectus, interiorum curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum providentiam in interiorum sollicitu-

(a) Titulus hic in antiquis mss. non legitur, nisi recentiori manu additus, ut videtur in 2do. Gemet. Continua ergo serie in manu exaratis sequitur cap. XII. In Longip. est tantum c. IX. Divisioni tamen à sancto Doctore propositæ, cum conveniat hæc inscriptio, ut patet ex superioribus verbis quibus caput XI. absolvitur, eam retinendam duximus.

(a) Va-

licitudine non relinquens. Sed hæc quæ breviter enumerando perstrinximus, paulò latius replicando differamus.

CAPUT II.

Ut Rector cogitatione sit mundus.

Rector semper cogitatione sit mundus, AL. xlii. quatenus nulla hunc immunditia polluat, qui hoc suscepit officii, ut in alienis quoque cordibus pollutionis maculas tergat: quia necesse est ut esse munda studeat manus, quæ diluere sordes curat; ne tacta quæque deterius inquinet, (a) si fordida insequens lutum (b) tenet. Hinc namque per Prophetam dicitur: *Mundamini qui fertis vasa Domini.* Domini etenim vasa ferunt, qui proximorum animas ad æterna sacraria perducendas in suæ conversationis fide suscipiunt. Apud semetipsos ergo quantum debeant mundari conspiciant, qui ad æternitatis templum vasa viventia in sinu propriæ sponsonis portant. Hinc divina voce præcipitur, ut in Aaron pectore rationale iudicii vittis ligantibus imprimatur: quatenus (c) sacerdotale cor nequaquam cogitationes fluxæ possideant, sed ratio sola constringat: nec indiscretum quid vel inutile cogitet, qui ad exemplum Gravitatem præ se ferat. aliis

Isai. 52.
11.

Exod. 28.
v. 15. &c.

Gravitatem præ se ferat.

(a) Vatic. præeuntibus Paris. 1518. Gilot. & al. ed. *si fordida in se mens.* Repugnant. Angl. & nostri mss.

(b) Carnot. secundus, *manet.*

(c) In Corb. *rationale.*

(a) Aud.

In sancto-
rum Pa-
trum ve-
stigiis o-
culos fi-
gat.

Aliorum
commo-
dis, non
suis stu-
deat.
Exod. 28.
v. 30.

Nihil in-
firmitatis
humanæ
pariatur.

aliis constitutus, ex gravitate vitæ semper debet ostendere quantam in pectore rationem portet. In quo etiam rationali vigilanter adjungitur, ut duodecim Patriarcharum nomina describantur. Adscriptos etenim patres semper in pectore ferre, est antiquorum vitam sine intermissione cogitare. Nam tunc sacerdos irreprehensibiliter graditur, cum exempla patrum præcedentium indefinenter intuetur, cum Sanctorum vestigia sine cessatione considerat, & cogitationes illicitas deprimit, ne extraordinis limitem operis pedem (a) tendat. Quod bene etiam rationale iudicii vocatur: quia debet Rector subtili semper examine bona malaque discernere, & quæ vel quibus, quando vel qualiter congruant, studiose cogitare: nihilque proprium quærere, sed sua commoda propinquorum bona deputare. Unde illic scriptum est: *Pones autem in rationali iudicii doctrinam & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron quando ingreditur coram Domino, & gestabit iudicium filiorum Israel in pectore suo in conspectu Domini semper.* Sacerdoti quippe iudicium filiorum Israel in pectore coram Domini conspectu gestare, est subjectorum causas pro sola interni iudicis intentione discutere, ut nihil se ei humanitatis admisceat in hoc quod divina positus vice dispensat, ne correptionis (b) studia privatus dolor exasperet. Cumque contra aliena vitia æmulator ostenditur,

(a) Aud. primus, *ponat.*

(b) Carnot. primus, & primus Aud. *studio.*

(a) Hic

tur, quæ sua sunt exequatur: ne tranquillitatem iudicii aut latens invidia maculet, aut præceps ira perturbet. Sed dum consideratur terror ejus qui super omnia præfidet, videlicet iudicis intimi, non sine magno regantur timore subjecti. Qui nimirum timor dum mentem Rectoris humiliat, purgat; ne hanc aut præsumptio spiritus levet, aut carnis delectatio inquinet, aut per terrenarum rerum (a) cupidinem importunitas pulveræ cogitationis obscurat: quæ tamen non pulsare Rectoris animum nequeunt; sed festinare necesse est, ut repugnatione vincantur; ne vitium quod per suggestionem tentat, (b) molliæ delectationis subigat: cumque hæc ab animo tardè repellitur, (c) mucrone consensus occidat.

CAPUT III.

Ut Rector semper sit operatione præcipuus.

SI Rector operatione præcipuus, ut vitæ viam subditis vivendo denuntiet, & grex qui Pastoris vocem moresque sequitur, per exempla melius quàm per verba gradiatur. Qui enim loci sui necessitate

AL. XIV.

(a) Hic dissentiunt mss. Corb. habet, *cupidinem pollutæ pulveræ cogit.* Carnot. secundus, *pollutæ cogitationis*, omisso *pulv.* Duo prior. Gemet. *cupiditatem imp. pulvere cog.*

(b) Carnot. 1. *malitia dilectionis.* Aud. 1. *malitia delectationis.*

(c) Carnot. 2. & Bellov. *Vereor ne consensus succedat.*

Doctri-
nam Pa-
storis, vi-
ta com-
mendet.

Isai. 40.
9.

Exod. 29.
22.

Ceteros
morum
integrita-
te supe-
ret.

tate exigitur summa dicere, hac eadem ne-
cessitate compellitur summa monstrare. Il-
la namque vox libentius auditorum cor
penetrat, quam dicentis vita commendat:
quia quod loquendo imperat, ostendendo
adjuvat ut fiat. Hinc enim per Prophetam
dicitur: *Super montem excelsum ascende tu qui
evangelizas Sion.* Ut videlicet qui caelesti
praedicatione utitur, ima jam terrenorum
operum deserens, in (a) rerum culmine
stare videatur: tantoque facilius subditos
ad meliora pertrahat, quanto per vitae me-
ritum de supernis clamat. Hinc divina Le-
ge armum sacerdos in sacrificium & dex-
trum accipit & separatum, ut non solum
sit ejus operatio utilis, sed etiam singula-
ris: nec inter malos tantummodo quae re-
cta sunt faciat, sed bene quoque operan-
tes subditos, sicut honore (b) ordinis su-
perat, ita etiam morum virtute transcen-
dat. Cui in esu quoque pectusculum cum
armo tribuitur: ut quod de sacrificio praeci-
pitur sumere, hoc de semetipso auctori
discat immolare. Et non solum (c) pe-
ctore quae recta sunt cogitet, sed spectato-
res suos ad sublimia armo operis invitet:
nulla prospera praesentis vitae appetat, nul-
la adversa pertimescat: blandimenta mun-
di (d) respecto intimo terrore despiciat,
terro-

(a) Primus Aud. in caelestium rerum.

(b) Andoen. secundus, caret voce, ordinis.

(c) Hic locus in Andoen. primo & primo Carnot. legitur sine hac voce, pectore.

(d) Laud. respectu intimi terroris. Fayet Carnot. secundus.

(a) Ita

terrores autem considerato internæ dulcedinis blandimento contemnat. Unde *Exod. 29.* pernae quoque vocis imperio in utroque humero sacerdos velamine superhumeralis astringitur: ut contra adversa ac prospera, virtutum semper ornamento muniatur: quatenus juxta vocem Pauli, per arma justitiæ à dextris sinistrisque gradiens, cum ad sola quæ (a) interiora sunt nititur, in nullo (b) delectationis infimæ latere flectatur. Non hunc prospera elevent, non adversa perturbent, non blanda usque ad voluptatem demulceant, non aspera ad desperationem premant: ut dum nullis passionibus intentionem mentis humiliat, quanta in utroque humero superhumeralis pulchritudine tegatur ostendat. Quod etiam superhumeralis ex auro, hyacintho, purpura, bis tincto cocco, & torta fieri bysso præcipitur; ut quanta sacerdos clarescere virtutum diversitate debeat, demonstretur. In sacerdotis quippe habitu ante omnia aurum fulget, ut in eo intellectus sapientiæ principaliter emicet. Cui hyacinthus, qui aëreo colore resplendet, adjungitur; ut per omne quod intelligendo penetrat, non ad favores infimos, sed ad amorem cœlestium surgat: ne dum suis incautus laudibus capitur, ipso etiam veritatis

*Exod. 29.*5.
Quid per
superhu-
merale
signaretur.

2. Cor. 6.

7.

*Exod. 28.*8.
Ex quibus
contextum.

(a) Ita Corb. tres Carnot. Belv. Aud. primus, tres Gemet. Legitur tamen in edit. *antiora*.

(b) Carnot. primus, *dilectionis*. Corb. in nullo *delectationes infimæ latere flectantur*.

Sancto-
rum regia
potestas.

1. *Petr.* 2.
9.

Johan. 1.
12.

Pf. 138.
17.

Virtutes
omnes ca-
ritate de-
corentur.

Cur hæc
bis tincto
cocco si-
milis.

tatis intellectu vacuetur. (a) Auro quoque & hyacintho purpura permiscetur; ut videlicet sacerdotale cor, cum summa quæ prædicat, sperat, in semetipso etiam suggestiones vitiorum reprimat, eisque velut ex regia potestate contradicat: quatenus nobilitatem semper intimæ regenerationis aspiciat, & cælestis regni sibi habitum moribus defendat. De hac quippe nobilitate spiritus per Petrum dicitur: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium.* De hac etiam potestate, qua vitia subigimus, Johannis voce roboramur, qui ait: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Hanc dignitatem fortitudinis Psalmista considerat, dicens: *Mibi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* Quia nimirum Sanctorum mens principaliter in summis erigitur, cum exterius perpeti abjecta cernuntur. Auro autem, hyacintho ac purpuræ bis tinctus coccus adjungitur; ut ante interni judicis oculos omnia virtutum bona ex caritate decorentur; & cuncta quæ coram hominibus rutilant, hæc in conspectu (b) occulti arbitri flamma intimi amoris accendat. Quæ scilicet caritas, quia Deum simul ac proximum diligit, quasi ex duplici tinctura fulgescit. Qui igitur sic ad auctoris speciem anhelat, ut proximorum curam

(a) In pler. mss. auro quoque ac bysso atque hyacintho; omitti debet ac bysso. Byssi enim infra meminuit.

(b) Carnot. primus, Laud. & Belvac. occulti arbitris.

curam negligat, vel sic proximorum curam exequitur, ut à divino amore torpescat: quia unum horum quodlibet negligit, in superhumeralis ornamento habere coccum bis tinctum nescit. Sed cum mens ad præcepta caritatis tenditur, restat proculdubio ut per abstinentiam caro maceretur. Unde & bis tincto cocco torta byssus adjungitur. De terra etenim byssus nitenti specie oritur. Et quid per byssum, nisi candens decore munditiæ corporalis castitas designatur? Quæ videlicet torta, ^{Castitati famulatur abstinentia.} pulchritudini superhumeralis innectitur, quia tunc castimonia ad perfectum munditiæ candorem ducitur, cum per abstinentiam caro fatigatur. Cumque inter virtutes ceteras etiam afflictæ carnis meritum proficit, quasi in diversa superhumeralis specie byssus torta candescit.

CAPUT IV.

Ut sit Rector discretus in silentio, utilis in verbo.

Sit Rector discretus in silentio, utilis in ^{AL. xv.} verbo: ne aut tacenda proferat, aut ^{Dist. 43.} proferenda reticescat. Nam sicut incauta ^{Sit Rector.} locutio in errorem pertrahit, ita indiscretum silentium hos qui erudiri poterant, in errore derelinquit. Sæpe namque rectores improvidi humanam amittere gratiam formidantes, loqui liberè recta pertimescunt: & juxta Veritatis vocem, nequaquam jam gregis custodiæ ^{Johan. 10. 12.} Pastorum studio, sed mercenariorum vice deserviunt: quia Pastores

muti ac
timidi
carpun-
tur.

Isai. 56.

^{10.}
Ezech. 13.

5.

Thren. 2.

14.

veniente lupo fugiunt, dum se sub filen-
tio abscondunt. Hinc namque eos per Pro-
phetam Dominus increpat, dicens: *Canes
muti non valentes latrare.* Hinc rursus que-
ritur, dicens: *Non ascendistis ex adverso, nec
opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in
prælio in die Domini.* Ex adverso quippe af-
cendere, est pro defensione gregis voce
libera hujus mundi potestatibus contraire.
Et in die Domini in prælio stare, est pra-
vis decertantibus ex justitiæ amore resiste-
re. Pastori enim recta timuisse dicere, quid
est aliud quàm tacendo terga præbuisse?
qui nimirum si pro grege se objicit, mu-
rum pro domo Israel hostibus opponit.
Hinc rursus delinquenti populo dicitur:
Prophetae tui viderunt tibi falsa & stulta, nec
(a) *aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad peni-*
tentiam provocarent. Prophetæ quippe in sa-
cro eloquio nonnumquam doctores vocan-
tur: qui dum fugitiva esse præsentia (b)
indicant, quæ sunt ventura manifestant.
Quos divinus sermo falsa videre redarguit;
quia dum corripere culpas metuunt, incaf-
sum delinquentibus promissa securitate
blandiuntur: qui iniquitatem peccantium
nequaquam aperiunt, quia ab increpationis
voce conticescunt. Clavis quippe
apertionis, est sermo correptionis: quia
(c) increpando culpam detegit, quam sæ-
pe

(a) Carnot. primus, & Aud. primus, *corripie-*
bant.

(b) Aud. 1. *judicant.*

(c) Tres Gemet. secundus & tertius Aud. Lyr.
Corb. *increpatio.*

pe nescit ipse etiam qui perpetravit. Hinc Paulus ait: *Ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere.* Hinc per Malachiam dicitur: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore ejus: quia Angelus Domini exercituum est.* Hinc per Isaiam Dominus admonet, dicens: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam.* Præconis quippe officium suscipit, quisquis ad sacerdotium accedit: ut ante adventum judicis qui terribiliter sequitur, ipse scilicet clamando gradiatur. Sacerdos ergo si prædicationis est nescius, quam clamoris vocem daturus est præco mutus? Hinc est enim quod super Pastores primos in linguarum specie Spiritus sanctus infedit: quia nimirum quos repleverit, de se protinus loquentes facit. Hinc Moyse præcipitur ut tabernaculum sacerdos ingrediens, tintinnabulis ambiatur: ut videlicet voces prædicationis habeat, ne superni spectatoris judicium ex silentio offendat. Scriptum quippe est: *Ut audiatur sonitus quando ingreditur & egreditur sanctuarium in conspectu Domini, & non moriatur.* Sacerdos namque ingrediens vel egrediens moritur, si de eo sonitus non auditur: quia iram contra se occulti judicis exigit, si sine prædicationis sonitu incedit. Aptè autem tintinnabula vestimentis illius describuntur inserta. Vestimenta etenim sacerdotis quid aliud quàm recta opera debemus accipere? Propheta attestante qui ait: *Sacerdotes tui induantur justitiam.* Vestimentis itaque illius tintinnabula inhærent, ut vitæ viam cum linguæ

Tit. 1. 9.

Malac. 2.

7.

Isaia. 58.

1.1

Præcones sunt.

Act. 2. 3.

Exod. 28.

33.

Ibid. v. 35.

Iram Dei,

si taceant,

merentur.

Ps. 131. 9.

Doceant

verbo &
exemplo.

sonitu ipsa quoque sacerdotis opera clament. Sed cum Rector se ad loquendum præparat, sub quanto cautelæ studio loquatur, attendat: ne si inordinatè ad loquendum rapitur, erroris vulnere audientium corda feriantur: & cum fortasse sapiens videri desiderat, unitatis compagem insipienter abscidat. Hinc namque Veritas dicit: *Habete sal in vobis, & pacem habete inter vos.* Per sal quippe, (a) verbi sapientia designatur. Qui igitur loqui sapienter nititur, magnopere metuat, ne ejus eloquio audientium unitas confundatur. Hinc Paulus ait: *Non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* Hinc in sacerdotis veste juxta divinam vocem tintinnabulis mala punica junguntur. Quid enim per mala punica, nisi fidei unitas designatur? Nam sicut in malo punico, (b) uno exterius cortice multa interiùs grana muniuntur: sic (c) innumeros sanctæ Ecclesiæ populos unitas fidei contegit, quos intus diversitas meritorum tenet. Ne igitur Rector incautus ad loquendum proruat, hoc quod jam præmisimus, per semetipsam Veritas discipulis clamat: *Habete sal in vobis, & pacem habete inter vos.* Ac si figuratè per habitum sacerdotis dicat: Mala punica tintinnabulis jungite, ut per omne quod dicitis, unitatem fidei cauta observatione teneatis. Providendum quoque est sollicita

(a) Laud. *verbum sapientia.*

(b) Tres Gemet. Carnot. primus & secundus ac Belvac. *una . . cortice.*

(c) Lyr. *universos.*

(a) Tres

cita intentione Rectoribus, ut ab eis non solum prava nullo modo, sed ne recta quidem nimie & inordinatè proferantur: quia saepe dictorum virtus perditur, cum apud corda audientium loquacitatis incautâ im-Loquaci-
portunitate levigatur: & auctorem suum tatem ca-
hæc eadem loquacitas inquinat, quæ servi-veant.
re auditoribus ad usum profectus ignorat.
Unde bene per Moysen dicitur: *Vir qui Levit. 15.*
fluxum seminis patitur, immundus erit. In 2.
mente quippe audientium semen secuturæ
cogitationis, est auditæ qualitas locutionis:
quia dum per aurem sermo concipitur, co-
gitatione in mente generatur. Unde & ab *Act. 17.*
hujus mundi sapientibus prædicator egre- 18.
gius seminiverbius est vocatus. Qui ergo
fluxum seminis sustinet, immundus asseri-
tur: quia multiloquio subditus, ex eo se
inquinat, quod si ordinatè promeret, pro-
lem rectæ cogitationis edere in audientium
corda potuisset: dumque incautus per lo-
quacitatem diffuit, non ad usum generis,
sed ad immunditiam semen effundit. Un-
de Paulus quoque cum discipulum de in-
stantia prædicationis admoneret, dicens:
Testificor coram Deo & Christo Jesu, qui judi- 2. Tim.
caturus est vivos & mortuos, per adventum 4. 1.
ipsum & regnum ejus, prædica verbum, insta
opportune, importune: dicturus importune,
præmisit opportune: quia scilicet apud audi-
toris mentem ipsa sua (a) vilitate se de-
struit

(a) Tres Gemet. tertius Carnot. Val-cl. secundus Aud. & Lyr. *subtilitate.* At duo Theod. Laud. & alii, *utilitate.*

fruit, si habere importunitas opportunitatem nescit.

CAPUT V.

Ut sit Rector singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus.

- AL. XVI. **S**IT Rector singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus: ut & per pietatis viscera in se infirmitatem ceterorum transferat, & per speculationis altitudinem semetipsum quoque invisibilia appetendo transcendat: ne aut alta petens, proximorum infirma despiciat, aut infirmis proximorum congruens, appetere alta derelinquat. Hinc est namque quod Paulus
2. Cor. 12. 3. in paradysum ducitur, cælique tertii secreta rimatur, & tamen illa invisibilium contemplatione suspensus, ad cubile carnalium aciem mentis revocat, atque in occultis suis qualiter debeant conversari dispensat,
1. Cor. 7. 2. dicens: *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque suum virum habeat. Uxori vir debitum reddat: similiter autem & uxor viro.* Et paulò post:
- Ibid. v. 5. *Nolite fraudare invicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi: & iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos satanas.* Ecce jam cælestibus secretis inseritur, & tamen per condescensionis viscera carnalium cubile perscrutatur: & quem sublevatus ad invisibilia erigit, hunc (a) miseratus ad secreta infirmantium oculum cordis fleçit.
- Cælum

(a) Longip. ac plurimi, *misericorditer.*

Cælum contemplatione transcendit, nec tamen (a) stratum carnalium sollicitudine deserit: quia compage caritatis summis simul, & infimis junctus, & in semetipso virtute spiritus ad alta valenter rapitur, & pietate in aliis æquanimiter infirmatur. Hinc

etenim dicit: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror?* 2. Cor. II. 29.

Hinc rursus ait *Factus sum Judæis tamquam Judæus.* 1. Cor. 9. 20.

Quod videlicet exhibebat non amittendo fidem, (b) sed extendendo pietatem: ut in se personam infidelium transfigurans, ex semetipso disceret qualiter aliis misereri debuisset: quatenus hoc illis impenderet, quod sibi ipse, si ita esset, impendi rectè voluisset. Hinc iterum dicit: *Sive mente excedimus, Deo: sive sobrii sumus, vobis:* quia & semetipsum noverat contemplan- do transcendere, & eundem se auditoribus condescendendo temperare. Hinc Jacob Domino desuper innitente, & uncto deorsum lapide, ascendentes ac descendentes Angelos vidit: quia scilicet prædicatores recti non solum sursum sanctum caput Ecclesiæ, videlicet Dominum contemplan- do appetunt, sed deorsum quoque ad membra illius miserando descendunt. Hinc

Paulus ex caritate personam infidelium in se expressit. 2. Cor. 5. 13.

Gen. 28. 12.

Pastor ad Deum ascendat

(a) Trecentis, Corb. Norm. Belv. Laud. &c. sic legendum suadent; à quibus longè abeuntes editores omnes posuerunt, *statum carn.* Supra habes, *carnalium cubile persc.*

(b) Sequimur hic Trec. Laud. Gemeticenses, duos Carnot Prior Carn. cum primo Aud. habet, *sed appetendo.* Neutris consentiunt vulgati, in quibus leg. *sed ostendendo.*

(a) Laud,

per con-
templa-
tionem, &
ad infir-
mos de-
scendat
per com-
passio-
nem.

Hinc Moyses crebrò tabernaculum intrat & exit: & qui intus in contemplationem & rapitur, foris infirmantium negotiis urgetur. Intus Dei arcana considerat, foris onera carnalium portat. Qui de rebus quoque dubiis semper ad tabernaculum recurrit, coram testamenti Arca Dominum consulit: exemplum proculdubio Rectoribus præbens, ut cum foris ambigunt quid disponant, ad mentem semper quasi ad tabernaculum redeant: & velut coram testamenti Arca Dominum consulant, si de his in quibus dubitant, apud semetipsos intus sacri eloquii paginas requirant. Hinc ipsa Veritas per susceptionem nostræ humanitatis nobis ostensa, in monte orationi inhæret, miracula in urbibus exercet: imitationis videlicet viam bonis Rectoribus sternens; ut etsi jam summa contemplando appetunt, necessitatibus tamen infirmantium compatiendo misceantur: quia tunc ad alta caritas mirabiliter surgit, cum ad ima proximorum se misericorditer attrahit: & quo benignè descendit ad infima, valenter recurrit ad summa. Tales autem sese qui præsent exhibeant, quibus subjecti (a) occulta quoque sua prodere non erubescant: ut cum tentationem fluctus parvuli tolerant, ad Pastoris mentem quasi ad matris finem recurrant: & hoc quod se inquinari pulsantis culpæ fordibus prævident, exhortationis ejus solatio, ac lacrymis orationis lavent. Unde & ante fores templi ad abluendas ingredientium manus mare æneum,

Pastori
occulta
piacula
tentatio-
nesque
aperian-
tur.

5. Reg. 7.
v. 23. &c.

(a) Laud. occulta quæque sua.

æneum, id est luterem, duodecim boves portant: qui quidem facie exterius eminent, sed ex posterioribus latent. Quid namque duodecim bobus, nisi universus Pastorum ordo designatur? De quibus Paulo disserente Lex dicit: *Non obturabis os bovi trituranti.* Quorum quidem nos aperta opera cernimus, sed apud districtum iudicem quæ illos posterius maneant in occulta retributione nescimus. Qui tamen cum condescensionis suæ patientiam diluendis proximorum confessionibus præparant, velut ante fores templi luterem portant: ut quisquis intrare æternitatis januam nititur, tentationes suas menti Pastoris indicet, & quasi in boum lutere cogitationis vel operis manus lavet. Et fit plerumque, ut dum Rectoris animus aliena tentamenta condescendendo cognoscit, auditis tentationibus etiam ipse pulsetur: quia & hæc eadem per quam populi multitudo diluitur, aqua proculdubio luteris inquinatur. Nam dum sordes diluentium suscipit, quasi suæ munditiæ serenitatem perdit. Sed hæc nequaquam Pastori timenda sunt, quia Deo subtiliter cuncta pensante, tanto facilius à sua eripitur, quanto misericordius ex aliena tentatione fatigatur.

1. Cor. 9.
9.
Ex Deut.
25. 4.

Auditis
etsi pulsetur, non inquinatur aut subvertitur; sed à propriis potius tentationibus liberatur.



CAPUT VI.

Ut sit Rector bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiæ erectus.

AL. XVII.

SIT Rector bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiæ erectus; ut & bonis in nullo se præferat, & cum pravorum culpa exigit, potestatem protinus sui (a) prioratus agnoscat: quatenus & honore suppresso æqualem se subditis bene viventibus deputet, & erga perverfos jura rectitudinis exercere non formidet. Nam sicut in libris Moralibus dixisse me memini, liquet quòd omnes homines natura æquales genuit, sed variante meritorum ordine alios aliis culpa postponit. Ipsa autem diversitas quæ accessit ex vitio, divino judicio dispensatur: ut quia omnis homo æquè stare non valet, alter regatur ab altero. Unde cuncti qui præsumunt, non in se potestatem debent ordinis, sed æqualitatem pensare conditionis: nec (b) præesse se hominibus gaudeant, sed prodesse. Antiqui etenim patres nostri non reges hominum, sed pastores pecorum fuisse memorantur. Et cum Noe Dominus filiisque ejus diceret: *Crescite*

*Lib. 21.
Mor. cap.
10. nunc
n. 22.*

Qui aliis præsumunt, non ordinis potestatem confidenter, sed æqualitatem conditionis.

(a) Ita Trecent. & plerique. In Carnot. primo tamen & in Aud. primo habes, *sui primatis*.

(b) Hæc ex S. P. Benedicti Regulæ c. 64. deprompta videntur, ubi extat: *sciatque (Abbas) sibi oportere prodesse magis quàm præesse*. Nec mirum cum Regulæ hujus observationi assuefactus esset Gregorius.

(a) Tres

cite & multiplicamini, & replete terram: pro- Gen. 9. 7.
tinus adjunxit: Et terror vester ac tremor sit 1. & 7.
super cuncta animalia terræ. Quorum videlicet terror ac tremor, quia esse super animalia terræ præcipitur, profectò esse super homines prohibetur. Homo quippe brutis animalibus, non autem hominibus ceteris naturâ prælatus est: & idcirco ei dicitur, ut ab animalibus & non ab hominibus timeatur: quia contra naturam superbire est, ab æquali velle timeri. Et tamen necesse est, ut Rectores à subditis timeantur, quando ab eis Deum minimè timeri deprehendunt: ut humana saltem formidine peccare metuant, qui divina judicia non formidant. Nequaquam namque præpositi ex hoc quæsito timore superbiunt, in quo non suam gloriam, sed subditorum justitiam quærunt. In eo enim quod metum sibi à perversè viventibus exigunt, quasi non hominibus, sed animalibus dominantur: quia videlicet ex qua parte bestiales sunt subditi, ex ea debent etiam (a) formidini jacere substrati.

Quando subditis terrorem incutere debeant.

Sed plerumque Rector eo ipso quo ceteris præeminet, elatione cogitationis intumescit, & dum ad usum cuncta subjacent, dum ad votum velociter jussa complentur, dum omnes subditi, si qua bene gesta sunt, laudibus efferunt, malè gestis autem nulla auctoritate contradicunt, dum plerumque laudant etiam quod reprobare debuerant, seductus ab his quæ infra suppetunt, super se

Quantum ipsis ab elatione, & ab adulatione metuendum.

(a) Tres Gemet. fortitudini.

(a) Edi-

se animus extollitur; & dum foris immenso favore circumdatur, intus veritate vacuatur, atque oblitus sui in voces se spargit alienas, talemque se credit, qualem se foris audit, non qualem intus discernere debuit. Subjectos despicit, eosque æquales sibi (a) naturæ ordine non agnoscit: & quos sorte potestatis excesserit, transcendisse se etiam vitæ meritis credit. Cunctis se æstimat ampliùs sapere, quibus se videt ampliùs posse. In quodam quippe se constituit culmine apud semetipsum, & qui æqua ceteris naturæ conditione confringitur, ex æquo respicere ceteros dedignatur: sicque usque ad ejus similitudinem ducitur, de quo scriptum est: *Omne sublime videt, & ipse est rex super universos filios superbiæ.* Qui singulare culmen appetens, & socialem Angelorum vitam despiciens, ait: *Ponam sedem meam ad Aquilonem, & ero similis Altissimo.* Miro ergo judicio intus foveam dejectionis invenit, dum foris se in culmine potestatis extollit. Apostatæ quippe Angelo similis efficitur, dum homo hominibus esse similis dedignatur. Sic Saul post humilitatis meritum in tumorem superbiæ culmine potestatis excrevit: per humilitatem quippe prælatus est, per superbiam reprobatus, Domino attestante, qui ait: *Nonne cum esses parvulus in oculis tuis, caput te constitui in tribubus Israel?* Parvulum se in suis priùs oculis viderat, sed fultus temporali potentia, jam se parvulum non vide

Job. 41.
25.

Isai. 14.
13.

In dignitatum culmine periclitatur humilitas.
1. Reg. 15.
17.

(a) Editores maluerunt, *naturæ origine*, in vitis omnibus mss.

(a) Ita

videbat. Ceterorum namque comparationi se præferens, quia plus cunctis poterat, magnum se præ omnibus aestimabat. Mi-
 ro autem modo cum apud se parvulus, apud Deum magnus; cum vero apud se magnus apparuit, apud Deum parvulus fuit. Plerumque ergo dum ex subjectorum affluentia animus inflatur, (a) in fluxum superbiæ ipso potentia fastigio lenocinante corrumpitur. Quam videlicet potentiam bene regit, qui & tenere illam noverit & impugnare. Bene hanc regit, qui scit per illam super culpas erigi, & scit, cum illa ceteris æqualitate componi. Humana etenim mens plerumque extollitur, etiam cum nulla potestate fulcitur; quanto magis in altum se erigit, cum se ei etiam potestas adjungit? Quam tamen potestatem rectè dispensat qui sollicitè noverit & sumere ex illa quod adjuvat, & expugnare quod tentat, & æqualem se cum illa ceteris cernere, & tamen se peccantibus zelo ultionis anteferre.

Sed hanc discretionem plenius agnoscimus, si Pastoris primi exempla cernamus. Petrus namque auctore Deo sanctæ Ecclesiæ principatum tenens, à bene agente Cornelio, & sese ei humiliter prosternente, immoderatiùs venerari recusavit, seque illi similem recognovit, dicens: *Surge, ne feceris, & ego ipse homo sum.* Sed cum Ananix & Sapphiræ culpam (b) reperit, mox

Qui sibi
 minimus,
 apud
 Deum
 magnus
 est.

Sciat su-
 per cul-
 pas erigi
 humilis
 Pastor.

Petrus Ec-
 clesiæ
 principa-
 tum te-
 nens, con-
 tra solos
 malos
 erectus
 est.
 Act. 10.
 26.

Ibid. 5. 5.

(a) Ita Trec. Carnot. Gemet. Laud. Val. cl. &c. & ver. edit. In Gilot. & recent. legitur, *in luxum*.

(b) Aud. primus, *reprehendit*.

quantâ potentiâ super ceteros excreviffet, ostendit. Verbo namque eorum vitam perculit, quam fpiritu perfcrutante deprehendit: & fummum fe intra Ecclefiam contra peccata recoluit, quod honore fibi vehementer impenfo coram bene agentibus fratribus non agnovit. Illic communio- nem æqualitatis meruit fanctitas actionis, hîc zelus ultionis jus aperuit potestatis. Paulus bene agentibus fratribus prælatum fe effe nesciebat, cum diceret: *Non quia dominamur fidei vestræ, sed adjutores sumus gaudii vestri.* Atque illico adjunxit: *Fide enim statis.* Ac fi id quod protulerat aperiret, dicens: Ideo non dominamur fidei vestræ, quia fide statis; æquales enim vobis fumus in quo vos stare cognoscimus.

Ejus exemplum fecutus Paulus.

2. Cor. 1. 23.

1. Theff. 2. 7.

2. Cor. 4. 5.

1. Cor. 4. 21.

Vitiis dominari oportet, non hominibus.

Quasi prælatum fe fratribus effe nesciebat, cum diceret: *Facti sumus (a) parvuli in medio vestrum.* Et rursus: *Nos autem servos vestros per Christum.* Sed cum culpam quæ corrigi debuiffet invenit, illico magistrum fe effe recoluit, dicens: *Quid vultis? In virga veniam ad vos.*

Summus itaque locus bene regitur, cum is qui præest, vitiis potiùs, quàm fratribus dominatur. Sed cum delinquentes fubditos præpositi corrigunt, restat necesse est, ut sollicitè attendant, quatenus per disciplinæ (b) debitum culpas quidem jure potestatis feriant, sed per humilitatis custodiam æquales fe ipsis fratribus qui corriguntur, agnoscant: quamvis plerumque etiam

(a) Tres Gemet, *sicut parvuli.*

(b) Duo priores Gemet. *meritum.*

(a) Car*

etiam dignum est, ut eosdem quos corrigimus, tacita nobis cogitatione præferamus. Illorum namque per nos vitia disciplinæ vigore feriuntur, in his verò quæ ipsi committimus, ne verbi quidem ab aliquo invectione laceramur. Tanto ergo apud Dominum obligatiores sumus, quanto apud homines inultè peccamus. Disciplina autem nostra subditos divino iudicio tanto liberiores reddit, quanto hic eorum culpas sine vindicta non deserit. Servanda itaque est & in corde humilitas, & in opere disciplina. Atque inter hæc solerter intuendum est, ne dum immoderatiùs custoditur virtus humilitatis, solvantur jura regiminis: & dum prælatus quisque plus se quàm decet dejicit, subditorum vitam fringere sub disciplinæ vinculo non possit. Teneant ergo Rectores exteriùs quod pro aliorum utilitate suscipiunt: servent interiùs quod de sua æstimatione pertimescunt. Sed tamen quibusdam signis decenter erumpentibus, eos apud se esse humiles etiam subjecti deprehendant: quatenus & in auctoritate eorum quod formident videant, & de humilitate quod imitentur agnoscant. Studeant igitur sine intermissione qui præfunt, ut eorum potentia quanto magna exteriùs cernitur, tanto apud eos interiùs deprimatur: (a) ne cogitationem vincat, ne in delectationem sui animum rapiat, ne jam sub se mens eam regere non possit, cui se libidine dominandi supponit. Ne enim præsi-

Servanda
in corde
humilitas,
& in opere
disciplina.

(a) Carnot primus, ne cogitatione timeant. Aud. primus, ne cogitatione timeant.

præsidentis animus ad elationem potestatis suæ delectatione rapiatur, rectè per quemdam sapientem dicitur: *Ducem te constituerunt, noli extolli, sed esto in illis quasi unus ex illis.* Hinc etiam Petrus ait: *Non dominantes in clero, sed forma facti (a) gregis.* Hinc per semetipsam Veritas ad altiora nos virtutum merita provocans, dicit: *Scitis quia principes gentium dominantur eorum, & qui majores sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos, sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister: & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus: sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Hinc est quoddam servum ex suscepto regimine elatum, quæ post supplicia maneant, indicat, dicens: *Quod si dixerit malus ille servus in corde suo: Moram facit Dominus meus venire, & ceperit percutere conservos suos, manducet autem & bibat cum ebriis; veniet dominus servi illius, in die qua non sperat, & hora qua ignorat, & dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis.* Inter hypocritas enim jure deputatur, qui ex simulatione disciplinæ ministerium regiminis vertit in usum dominationis: & tamen nonnumquam gravius delinquitur si inter perversos plus æqualitas, quàm disciplina custoditur. Quia enim falsa pietate superatus ferire Heli delinquentes filios noluit, apud districtum judicem semetipsum cum filiis crudeli damnatione percussit. Hinc namque divina ei voce dicitur: *Honorasti filios tuos magis quàm me.* Hinc Pastores increpat per Prophetam,

Eccli. 32.

I.

1. Petr. 5.

3.

Math. 20.

v. 25. &c.

Math. 24.

v. 48. &c.

Qui simu-

latione

disciplinæ

subditis

domina-

tur, hy-

pocrita.

I. Reg. 4.

v. 17. &

18.

Ibid. 2. 29.

(a) Tres Gemet. gregi.

(a) In

tam, dicens: *Quod fractum est non alligastis, Ezech. 34.*
 & quod abjectum est non reduxistis. Abjectus enim reducitur cum quisque in culpa lapsus, ad statum justitiæ ex pastoralis sollicitudinis vigore revocatur. Fracturam verò ligamen astringit, cum culpam disciplina deprimit: ne plaga usque ad interitum defluat, si hanc districtiōnis severitas non coarctat.

Sed sæpe deterius frangitur, cum fractura incautè colligatur, ita ut gravius scissuram sentiat, si hanc immoderatiùs ligamenta constringant. Unde necesse est, ut cum peccati vulnus in subditis corrigendo restringitur, magna se sollicitudine (a) etiam districtio ipsa moderetur: quatenus sic jura disciplinæ contra delinquentes exerceat, ut pietatis viscera non amittat. Curandum quippe est, ut Rectorem subditis & matrem pietas, & patrem exhibeat disciplina. Atque inter hæc sollicita circumspessione providendum, ne aut districtio rigida, aut pietas sit remissa. Nam sicut in libris Moralibus jam diximus, disciplina vel misericordia multum destituitur, si una sine altera teneatur. Sed erga subditos suos inesse Rectoribus debet & justè (b) consulens misericordia, & piè sæviens disciplina. Hinc namque est, quodd docente Veritate, per Samaritani studium semivi-

Sic jura disciplinæ exercenda, ut pietas non deferatur.

Dist. 45. c.
 Sed illud in fin.
Lib. 20.
Moral. n.
14. c. 8. &
epist. 25.
lib. 1.
 Exemplum Samaritani.
Luc. 10.

34

(a) In editis aut *districtior*, aut *districtor ipse*. Quibus mss. omnes reluctantur.

(b) In plur. edit. tam *Moral.* quàm *Pastoral. consolans*. Apud Gratianum & in mss. habes, *consulens*.

vus in stabulum ducitur, & vinum atque oleum vulneribus ejus adhibetur: ut per vinum scilicet mordeantur vulnera, per oleum foveantur. Necessè quippe est, ut quisquis sanandis vulneribus præest, in vino morsum doloris adhibeat, in oleo molliem pietatis: quatenus per vinum (a) mundentur putrida, per oleum foveantur sananda. Miscenda ergo est lenitas cum severitate; faciendum quoddam ex utroque temperamentum: ut neque (b) multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur. Quod juxta

Hebr. 9. 4.
In Pastoris
pectore
virga fit
& manna.

Pauli vocem bene illa tabernaculi Arca significat, in qua cum tabulis virga simul & manna est: quia cum Scripturæ sacræ scientia in boni Rectoris pectore, si est virga districtio, fit & manna dulcedinis. Hinc David ait: *Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* Virga enim percutimur, baculo sustentamur. Si ergo est districtio virgæ quæ feriat, fit & consolatio baculi quæ sustentet. Sit itaque amor, sed non emolliens: (c) fit vigor, sed non exasperans: fit zelus, sed non immoderatè sæviens: fit pietas, sed non plus quàm expediat, parcens: ut dum se (d) in arce regiminis justitia clementiaque permiscet, is qui præest, corda subditorum & terrendo de-

(a) Tres Gemer. Lyr. & Aud. secundus, *mordeantur*, Trec. Val-clar. & alii, *mundentur*.

(b) Corb. *nimia*. Trecensem & alios plur. sequimur.

(c) Edit. *fit rigor*. Reluctantur mss. omnes.

(d) Carnor. primus, *in arce*.

(a) Corb.

demulceat, & tamen ad terroris reverentiam demulcendo constringat.

CAPUT VII.

Ut sit Rector internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum providentiam in internorum sollicitudine non relinquens.

SIT Rector internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum providentiam in internorum sollicitudine non relinquens: ne (a) aut exterioribus deditus ab intimis corruat, aut solis interioribus occupatus, quæ foris debet proximis non impendat. Sæpe namque nonnulli velut oblitum quod fratribus animarum causâ prælati sunt, toto cordis adnifu secularibus curis inserviunt: has, cum adfuerint, se agere exultant; ad has etiam cum defuerint, diebus ac noctibus cogitationis turbidæ æstibus anhelant. Cumque ab his, cessante forsitan (b) opportunitate, quieti sunt, ipsa deterius sua quiete fatigantur. Voluptatem namque censent si actionibus deprimuntur, laborem deputant si in terrenis negotiis non laborant. Sicque fit, ut dum (c) se urgeri mundanis tumultibus

AL. xviii.
Rerum secularium sollicitudo, Pastori quam nonxia.

(a) Corb. & Gemet. tertius, *ne aut solis exterioribus.*

(b) Hic dissentiunt mss. Ex Anglican. alii habent *importunitate*, alii *inopportunitate*; quod habetur in Corb. Belvac. & secundo Carnot. Sequimur Trecentem cum quo Norm. conveniunt, & omnes vulgati.

(c) Corb. *urgere se.* In Trecent. *dum se urgeri.*

- gaudent, interna quæ alios docere debuerant ignorent. Unde subjectorum quoque proculdubio (a) vita torpescit: quia cum proficere spiritaliter appetit, in exemplo ejus qui sibi prælatus est, quasi in obstaculo itineris offendit. Languente enim capite membra incassum vigent, & in exploratione hostium frustra exercitus velociter sequitur, si ab ipso duce itineris erratur. Nulla subditorum mentes exhortatio sublevat, eorumque culpas increpatio nulla castigat: quia dum per animarum præfulem terreni exercetur officium judicis, à gregis custodia vacat cura Pastoris; & subjecti veritatis lumen apprehendere nequeunt, quia dum Pastoris sensus terrena studia occupant, vento tentationis impulsus Ecclesiæ oculos pulvis cæcat. Quo contra rectè humani generis Redemptor, cum nos à ventris voracitate compesceret, dicens:
- Luc. 21. 30. Attendite autem vobis, ut non graventur corda vestra in crapula & ebrietate; illico adjunxit: Aut in curis hujus vite. Ubi pavorem quoque protinus intentè adjiciens: Ne fortè, inquit, superveniat in vos repentina dies illa. Cujus adventus etiam qualitatem denuntiat, dicens: Tamquam laqueus enim veniet super omnes qui sedent super faciem omnis terræ.*
- Ibid. 35. Hinc iterum dicit: Nemo potest duobus dominis servire. Hinc Paulus religiosorum mentes à mundi consortio contestando, ac potius conveniendo suspendit, dicens: Ne-*
- 2. Tim. 2. 4. mo militans Deo implicat se negotiis secularibus, ut ei placeat cui se probavit. Hinc Ecclesiæ*
- Recto-

(a) Corb. vita torpescit.

(a) Car-

Reſtoribus & vacandi ſtudia præcipit, & (a) conſulendi remedia oſtendit, dicens: *Secularia igitur* (b) *judicia ſi habueritis, contemtibiles qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad judicandum*: ut ipſi videlicet diſpenſationibus terrenis inſerviant, quos dona ſpiritualia non exornant. Ac ſi apertiùs dicat: Quia penetrare intima nequeunt, ſaltem neceſſaria foris operentur. Hinc Moyſes, qui cum Deo loquitur, Jethro alienigenæ reprehentione judicatur, quòd terrenis populorum negotiis ſtulto labore deſerviat: cui & conſilium mox præbetur, ut pro ſe alios ad jurgia dirimenda conſtituat, & ipſe liberiùs ad erudiendos populos ſpiritualium arcana cognoſcat.

1. Cor. 6. 4.

Exod. 18.

v. 17. &

18.

A ſubditis ergo inferiora gerenda ſunt, à Reſtoribus ſumma cogitanda: ut ſcilicet oculum, qui prævidendis grefſibus præeminet, cura pulveris non obſcuret. Caput namque ſubjectorum ſunt cuncti qui præſunt; & ut recta pedes valeant itinera carpere, hæc proculdubio caput debet ex alto providere, ne à provecſus ſui itinere pedes torpeant, cùm curvata rectitudine corporis caput ſeſe ad terram declinat. Qua autem mente animarum præſul honore paſtorali inter ceteros utitur, ſi in terrenis negotiis quæ reprehendere in aliis debuit, & ipſe verſatur? Quod videlicet ex ira juſtæ retributionis per Prophetam Dominus mina-

Pæſtoris
oculos
munda-
nus pulvis
non ob-
ſcuret.

(a) Carnot. primus, conſolandi.

(b) Carnotenses, negotia.

Osee 4 9. minatur, dicens: *Et erit sicut populus, sic sacerdos.* Sacerdos quippe est ut populus, quando ea agit is qui spiritali officio fungitur, quæ illi nimirum faciunt qui adhuc de studiis carnalibus judicantur. Quod cum magno scilicet dolore caritatis Jeremias Propheta conspiciens, quasi sub destructione templi deplorat, dicens: *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum?* Quid namque auro, quod metallis ceteris præeminet, nisi excellentia sanctitatis? Quid colore optimo, nisi cunctis amabilis reverentia religionis exprimitur? Quid sanctuarii lapidibus, nisi sacrorum ordinum personæ signantur? Quid platearum nomine, nisi præsentis vitæ latitudo figuratur? Quia enim Græco eloquio *πλάτος* latitudo dicitur, profectò à latitudine plateæ sunt vocatæ. Per semetipsam verò Veritas dicit: *Lata & spatiosa via est quæ ducit ad perditionem.* Aurum igitur obscuratur, cum terrenis actibus sanctitatis vita polluitur. Color optimus commutatur, cum quorundam qui degere religiosè credebantur, æstimatio antea acta minuitur. Nam cum quilibet post sanctitatis habitum terrenis se actibus inserit, quasi colore permutato ante humanos oculos ejus reverentia despecta pallescit. Sanctuarii quoque lapides in plateas disperguntur, cum causarum secularium foras lata itinera expetunt hi, qui ad ornamentum Ecclesiæ internis mysteriis quasi (a) in secretis tabernaculi vacare

Ibren. 4. 1.

Sacerdotes sunt lapides sanctuarii.

Matth. 7.
13.

(a) Excusi, in secretis sanctuarii. Coegit nos mss. mul-

care debuerunt. Ad hoc quippe sanctuarii lapides fiebant, ut intra Sancta sanctorum in vestimento summi sacerdotis apparerent. Cum vero ministri religionis à subditis honorem Redemptoris sui ex merito vitæ non exigunt, sanctuarii lapides in ornamento Pontificis non sunt. Qui ni- Quando-
nam in
plateis
dispersi; mirum sanctuarii lapides dispersi per plateas jacent, cum personæ sacrorum ordinum voluptatum suarum (a) latitudini deditæ, terrenis negotiis inhærent. Et notandum, quod non hos dispersos in plateis, sed in capite platearum dicit: quia & cum terrena agunt, summi videri appetunt; ut & lata itinera teneant (b) ex voluptate delectationis, & tamen in platearum sint capite ex honore sanctitatis.

Nil quoque obstat si sanctuarii lapides eosdem ipsos quibus constructum sanctuarium existebat, accipimus: qui dispersi in platearum capite jacent, quando sacrorum ordinum viri terrenis actibus ex desiderio in- Sacri ordi-
dines. ferviunt, ex quorum prius officio sanctitatis gloria stare videbatur. Secularia itaque Secularia
nego-

titudo & præstantia ponere, *tabernaculi*. Nunc quidem in Trecensi legitur, *sanctuarii*; à tertia manu scriptum.

(a) Recentiores excusi *libidini*, reluctans omnibus mss. Ceterum per *personas sacrorum ordinum*, hic & paulo superius intelligit Grægorius potissimum Episcopos, Presbyteris tamen & Diaconis non exclusis. Vide infra, *viri sac. ord.*

(b) Tres Gemet. Lyr. secundus Aud. Longip. *ex voluntate*. Sequimur Trecens. Corh. & alios quos editores omnes expresserunt.

negotia
ex com-
passione
toleranda,
numquam
ex amore
requiren-
da.

Pastores
necessaria
non tri-
buentes,
libenter
non au-
diuntur.

1. Petr. 5.
1.

negotia aliquando ex compassione toleranda sunt, numquam verò ex amore requirenda: ne cum mentem diligentis aggravant, hanc suo victam pondere ad ima de caelestibus mergant. At contra, nonnulli gregis quidem curam suscipiunt, sed sic sibi vacare ad spiritalia appetunt, ut rebus exterioribus nullatenus occupentur. Qui cum curare corporalia funditus negligunt, subditorum necessitatibus minimè (a) concurrunt. Quorum nimirum prædicatio plerumque despicitur; quia dum delinquentium facta corripiunt, sed tamen eis necessaria præsentis vitæ non tribuunt, nequaquam libenter audiuntur. Egentis etenim mentem doctrinæ sermo non penetrat, si hunc apud ejus animum manus misericordiæ non commendat. Tunc autem verbi semen facilè germinat, quando hoc in audientis pectore pietas prædicantis rigat. Unde Rectorem necesse est, ut interiora possit infundere, cogitatione innoxia etiam exteriora providere. Sic itaque Pastores erga interiora studiorum suorum ferveant, quatenus in eis exterioris quoque vitæ providentiam non relinquant. Nam quasi jure, ut diximus, à percipienda prædicatione gregis animus frangitur, si cura exterioris subsidii à Pastore negligatur. Unde & primus Pastor sollicitè admonet, dicens: *Seniores qui in vobis sunt, obsecro consenior & testis Christi passionum, qui & ejus quæ in futuro revelanda est, gloriæ communicatur, pascite qui in vobis est gregem*

(a) Primus Aud. exquisitori sensu, *occurrunt.*
(a) Corb.

gregem Dei. Qui hoc in loco passionem cordis an corporis suaderet, aperuit cum protinus adjunxit: *Providentes (a) non coacte, sed spontaneè secundum Deum, neque turpis lucri gratiâ, sed voluntariè.* Quibus profectò verbis Pastoribus piè præcavetur, ne dum subjectorum (b) inopiam fatiant, se mucrone ambitionis occidant: ne cum per eos carnis subsidiis reficiuntur proximi, ipsi remaneant à justitiæ pane jejuni. (c) Hanc Pastorum sollicitudinem Paulus excitat, dicens: *Qui suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infidelis deterior.* Inter hæc itaque metuendum semper est, & vigilanter intuendum, ne dum cura ab eis exterior agitur, ab interna intentione mergantur. Plerumque enim, ut prædiximus, corda Rectorum dum temporali sollicitudini incautè deserviunt, ab intimo amore frigescent: & foras fusa oblivisci non metuunt, quia animarum regimina susceperunt. Sollicitudo ergo quæ subditis exteriùs impenditur, sub certa necessitate est mensura teneatur. Unde bene ad Ezechielem dicitur: *Sacerdotes caput suum non radent, neque comam nutriant, sed tondentes attondeant capita sua.* Sacerdotes namque jure vocati sunt, qui ut sacrum ducatum præbeant, fidelibus præfunt. Capilli vero in capite, exteriores sunt cogitationes in

I. Tim. 5. 8.

Sollicitudo subditis sub certa mensura impendatur. Ezech. 44. 20.

(a) Corb. Belv. & secundus Carnot. non coactos. Prior Carnot. non coacti, sed spontanei.

(b) Idem Carnot. & primus Aud. inopiam sentiant.

(c) Secundus Carnot. Hinc pastorum.

(a) Corb.

in mente: qui dum super cerebrum insensibiliter oriuntur, curas vitæ præsentis designant; quæ ex sensu negligenti, quia importunè aliquando prodeunt, quasi nobis non sentientibus procedunt. Quia igitur cuncti qui præsent, habere quidem sollicitudines exteriores debent, nec tamen eis vehementer incumbere, sacerdotes rectè & caput prohibentur radere, & comam nutrire: ut cogitationes carnis de vita subditorum nec à se funditus amputent, nec rursus ad crescendo nimis relaxent. Ubi & bene dicitur: *Tondentes tondeant capita sua*; ut videlicet (a) curæ temporalis sollicitudinis & quantum necesse est prodeant, & tamen recidantur citiùs, ne immoderatiùs excrescant. Dum igitur & per administratam exteriorem providentiam corporum vita protegatur, & rursus (b) per moderatam cordis intentionem non impeditur, capilli in capite sacerdotis & servantur ut cutem cooperiant, & refecantur ne oculos claudant.

Ezech. 44.
20.

CA-

(a) Corb. cum nonnullis, *curæ temporalis sollicitudines*. Laud. *curæ temporales sollicitudines*.

(b) In edit. Paris 1518. Gilot. & plur. *per immoderatam*. Quibus suffragantur multi mss. scil. tres Carnot. duo Audoe. Lyr. & tertius Gemet. fecus alii, præsertim Trec. quem errare nusquamprehendimus, nisi ubi recenti manu corruptus fuit.



(a) Duo

CAPUT VIII.

Ne placere Reſtor ſuo ſtudio hominibus appetat, ſed tamen ad quod placere debeat, intendat.

INter hæc quoque neceſſe eſt, ut Reſtor AL. XIX. ſolenter invigilet, ne hunc cupido placendi hominibus pullet: ne cùm ſtudioſè interiora penetrat, cùm providè exteriora ſubminiſtrat, ſe magis à ſubditis diligere quàm veritatem quærat: ne cùm bonis actibus fultus, à mundo videtur alienus, hunc auctori reddat extraneum amor ſuus.

Hostis namque Redemptoris eſt, qui per reſta opera quæ facit, ejus vice ab Eccleſia Qui placere Chriſti ſponſæ non Chriſto quærit, adulterii reus. amari concupiſcit: quia adulterinæ cogitationis reus eſt, ſi placere puer ſponſæ oculis appetit, per quem ſponſus dona tranſmiſit. Qui nimirum amor proprius cùm Reſtoris mentem ceperit, aliquando hanc inordinatè ad mollitiem, aliquando verò ad aſperitatem rapit. Ex amore etenim ſuo mens Reſtoris in mollitiem vertitur; quia cùm peccantes ſubditos reſpicit, ne erga hunc eorum dilectio torpeat, corripere non præſumit: nonnumquam verò errata ſubditorum quæ increpare debuerat, adulationibus demulcet. Unde bene per Prophetam dicitur: *Ve bis qui conſuunt pulvillos* Ezech. 12.

ſub omni (a) cubito manus, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad capiendas animas. Pulvillos quippe ſub omni cubito 18. Paſtores carnales aliis adulantur. manus

(a) Duo priores Gemet. hinc & deinceps, *cubitus*; conſentiunt Lyr. & ſecundus Aud.

manus ponere, & cadentes à sua rectitudine animas, atque in hujus mundi se (a) delectatione reclinantes, blanda adulatione refovere. Quasi enim pulvillo cubitus, vel cervicalibus caput jacentis excipitur, cum correptionis duritia peccanti subtrahitur, eique mollities favoris adhibetur, ut in errore molliter jaceat, quem nulla asperitas contradictionis pulsat. Sed hæc Rectores, qui semetipsos diligunt, his proculdubio exhibent, à quibus se noceri posse in studio gloriæ temporalis timent. Nam quos nil contra se valere conspiciunt, hos nimirum asperitate rigidæ semper investionis premunt, numquam clementer admonent, sed pastoralis mansuetudinis obliti, jure dominationis terrent. Quos rectè per Prophetam divina vox increpat, dicens:

Alios dominatione terrent.

Ezech. 34. Vos autem cum austeritate imperabatis eis & cum potentia. Plus enim se suo auctore diligentes, jactanter erga subditos se erigunt, nec quid agere debeant, sed quid valeant attendunt: nil de se subsequenti judicio metuunt, improbè de temporali potestate gloriantur: libet ut licenter & illicita faciant, & subditorum nemo contradicat. Qui ergo & prava studet agere, & tamen ad hæc vult ceteros tacere, ipse fibimet testis est, quia plus veritate se appetit diligi, quàm contra se non vult defendi. Nemo quippe est qui ita vivat, ut aliquatenus non delinquat. Ille ergo se ipso amplius veritatem desiderat amari, qui sibi à nullo

Galat. 2. vult contra veritatem parci. Hinc etenim
 11. Petrus increpationem Pauli libenter accepit: hinc David correptionem subditi humiliter
 2. *Reg. 12.*
 7.

militer audivit: quia Rectores boni dum privato diligere amore se nesciunt, liberæ puritatis verbum à subditis obsequium humilitatis credunt. Sed inter hæc necesse est, ut cura regiminis tanta moderaminis arte temperetur, quatenus subditorum mens cum quædam recte sentire potuerit, sic in vocis libertatem prodeat, ut tamen libertas in superbiam non erumpat: ne dum fortasse immoderatiùs linguæ eis libertas conceditur, vitæ ab his humilitas amittatur. Sciendum quoque est (a) quòd oporteat, ut Rectores boni placere hominibus appetant, sed ut suæ æstimationis dulcedine proximos in affectum veritatis trahant, non ut se amari desiderent, sed ut dilectionem suam quasi quamdam viam faciant, per quam corda audientium ad amorem Conditoris introducant. Difficile quippe est, ut quamlibet recta denuntians prædicator qui non diligitur, libenter audiatur. Debet ergo qui præest, & studere se diligi, quatenus possit audiri, & tamen amorem suum pro semetipso non quærere, ne inveniatur ei cui servire per officium cernitur, occulta cogitationis tyrannide resultare. Quod bene Paulus insinuat, cum sui nobis studii occulta manifestat, dicens: Sicut & ego per omnia omnibus placeo. Qui tamen rursus dicit: Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. Placet ergo Paulus, & non placet: quia in eo quòd place-

A subditis argui gaudent boni.

Qua intentione diligi studere debeat Pastor.

I. Cor. 10.
Galat. 1.
10.

(a) Corrupte in Guot. Varic. & plur. quòd non oporteat; repugnantibus mss. Anglic. &c. nec non invito sensu.

placere appetit, non se, sed per se hominibus placere veritatem quærit.

CAPUT IX.

Quòd scire sollicitè Rector debet, quia plerumque vitia virtutes se esse mentiuntur.

AL. xx.

SCire etiam Rector debet quòd plerumque vitia virtutes se esse mentiuntur. Nam sæpe sub parcimoniæ nomine se tenacia palliat, contraque se effusio sub appellatione largitatis occultat. Sæpe inordinata remissio pietas creditur, & effrenata ira spiritalis zeli virtus æstimatur. Sæpe præcipitata actio velocitatis efficacia, atque agendi tarditas gravitatis consilium putatur. Unde necesse est ut Rector animarum, virtutes ac vitia vigilantia cura discernat, ne aut cor tenacia occupet, & parcum se videri in dispensationibus exaltet: aut cum effuse (a) quid perditur, largum se quasi miserando gloriatur: aut remittendo quod ferire debuit, ad æterna supplicia subditos pertrahat; aut immaniter feriendo quod delinquitur, ipse gravius delinquat: aut hoc quod agi rectè ac graviter potuit, immaturè præveniens leviget; aut bonæ actionis meritum differendo, ad deteriora (b) permutet.

CA-

(a) Editi contra mss. fidem, *quid impenditur.*

(b) Laud. *permitter.*

CAPUT X.

Quæ esse debet Rectoris discretio correptionis & dissimulationis, fervoris & mansuetudinis.

Sciendum quoque est, quòd aliquando AL. XXI.

subjectorum vitia prudenter dissimulanda sunt, sed quia dissimulantur, indicanda: aliquando & apertè cognita, mature toleranda, aliquando verò subtiliter & (a) occulta perscrutanda: aliquando leniter arguenda, aliquando autem vehementer increpanda. Nonnulla quippe, ut diximus, prudenter dissimulanda sunt, sed quia

dissimulantur, indicanda: ut cum delinquens, & deprehendi se cognoscit & perpeti has quas in se tacitè tolerari considerat, augere culpas erubescat, seque se iudice puniat, quem sibi apud se Rectoris patientia clementer excusat. Qua scilicet dissimulatione bene Judæam Dominus corripit, cum per Prophetam dicit: *Mentita Isai. 57.*

es, & meam non es recordata, neque cogitasti in corde tuo, quia ego tacens & quasi (b) non videns. Et dissimulavit ergo culpas, & innotuit: quia & contra peccantem tacuit, & hoc ipsum tamen quia tacuerit dixit.

Nonnulla autem vel apertè cognita, mature toleranda sunt, cum videlicet rerum minorum nimè opportunitas congruit, ut apertè corrigantur. Nam secta immaturè vulnera de-

terius

Quædam prudenter dissimulanda.

11.

Nonnulla, etiam apertè cognita, toleranda.

(a) Carnot. primus, & secundus Aud. & occultè.

(b) Primus Carn. cum 2. priorib. Germ. non audiens.

terius infervescunt, & nisi cum tempore
 medicamenta convenient, constat procul-
 dubio quòd medendi officium amittant.
 Sed cùm tempus subditis ad correptionem
 quæritur, sub ipso culparum pondere pa-
 tientia Præfulis exercetur. Unde bene per
 Psal. 128. Psalmistam dicitur: *Supra dorsum meum fa-*
 3. *bricaverunt peccatores.* In dorso quippe
 onera sustinemus. Supra dorsum igitur
 suum fabricasse peccatores queritur, ac si
 apertè dicat: Quos corrigere nequeo,
 quasi superimpositum onus porto.

Alia, licèt Nonnulla autem occulta subtiliter sunt
 occulta, perscrutanda, ut quibusdam signis erum-
 perferu- pentibus, Rector in subditorum mente
 tanda. omne quod clausum latet, inveniat, & in-
 interveniente correptionis articulo, ex mi-
 nimis majora cognoscat. Unde rectè ad

Ezech. 8 8. Ezechielem dicitur: *Fili hominis, (a) fode*
parietem. Ubi mox idem Propheta subjun-

Ibid. v. 9. *git: Et cùm fodissem parietem, apparuit ostium*
 8 10. *unum. Et dixit ad me: Ingredere, & vide*
abominaciones pessimas, quas isti faciunt hic. Et
ingressus vidi: & ecce omnis similitudo reptilium,
& animalium abominatio, & universa idola do-
mus Israel depicta erant in pariete. Per Ezechie-
 lem quippe præpositorum persona signatur,
 per parietem duritia subditorum. Et quid
 est parietem fodere, nisi acutis inquisitio-
 nibus duritiam cordis aperire? Quem cùm
 fodisset, apparuit ostium: quia cùm cor-
 dis duritia vel studiosis percunctationibus,
 vel

(a) Tres Germ. *fode tibi*; quod olim lectum in
 Trec. aut, *fode ibi.* lidem cod, & *cùm perfodissem.*
 (a) Ita

vel maturis correptionibus scinditur, quasi quædam janua ostenditur, ex qua omnia in eo qui corripitur cogitationum interiora videantur. Unde & bene illic sequitur: *Ingrederere & vide abominationes pessimas, quas isti faciunt hic.* Quasi ingreditur ut abominationes aspiciat, qui discussis quibusdam signis exterius apparentibus, ita corda subditorum penetrat, ut cuncta ei quæ illicitè cogitantur innotescant. Unde & subdit: *Et ingressus vidi: & ecce omnis similitudo reptilium, & animalium abominatio.* In reptilibus cogitationes omnino terrenæ signantur, in animalibus verò jam quidem aliquantulum à terra suspensæ, sed adhuc terrenæ mercedis præmia requirentes. Nam reptilia toto ex corpore terræ inherent, animalia (a) autem magna parte corporis à terra suspensa sunt, appetitu tamen gulæ ad terram semper inclinantur. Reptilia itaque sunt intra parietem, quando cogitationes volvuntur in mente, quæ à terrenis desideriis numquam levantur. Animalia quoque sunt intra parietem, quando & si qua jam justa, si qua honesta cogitantur, appetendis tamen lucris temporalibus honoribusque deferviunt: & per semetipsa quidem jam quasi à terra suspensa sunt, sed adhuc per ambitum quasi per gulæ desiderium sese (b) ad ima submittunt. Unde & bene subditur: *Et universa idola domus Israel depicta erant in pariete.* Scriptum quippe ¹⁰ *Ambitus & avaritiæ* Ezech. 8.

(a) Ita mss. & vet. ed. In recent. mole corporis; quod minimè verum.

(b) Aud. secundus, ad ima suspendunt.

idolola-
tr^a.
Coloss. 3. 5. pe est: *Et avaritia, quæ est idolorum servitus.*
Rectè ergo post animalia, idola describuntur: quia etsi honesta actione nonnulli jam quasi à terra se erigunt, ambitione tamen inhonesta semetipsos ad terram deponunt. Bene autem dicitur, *Depicta erant*: quia dum exteriorum rerum intrinsecus species attrahuntur, quasi in corde depingitur quidquid fictis imaginibus deliberando cogitatur. Notandum itaque est, quia prius foramen in pariete, ac deinde ostium cernitur, & tunc demum occulta abominatio demonstratur: quia nimirum uniuscujusque peccati prius signa forinsecus, deinde janua apertæ (a) iniquitatis ostenditur, & tunc demum omne malum quod intus latet aperitur.

Qui aut
ignorantia
aut
infirmi-
tate delin-
quunt, le-
niter ar-
guendi.

Nonnulla autem sunt leniter arguenda: nam cum non malitia, sed sola ignorantia vel infirmitate delinquitur, profectò necesse est, ut magno moderamine ipsa delicti correptio temperetur. Cuncti quippe quousque in hac mortali carne subsistimus, corruptionis nostræ infirmitatibus subjacemus. Ex se ergo debet quisque colligere qualiter alienæ hunc oporteat (b) imbecillitati misereri, ne contra infirmitatem proximi si ad increpationis vocem ferventius rapitur, oblitus sui esse videatur. Unde bene Paulus admonet, dicens: *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu mansuetu-*

Galat. 6.
1.

(a) Longip. *inquisitionis.*

(b) Lyr. & secundus Aud. *infirmiitati prodesse.*

(a) Laud.

suetudinis, considerans teipsum, ne & tu tentaris. Ac si apertè dicat: Cùm displicet ex aliena infirmitate quod conspicias, pensa quod es; ut in increpationis zelo se spiritus temperet, dum sibi quoque quod increpat timet,

Nonnulla autem sunt vehementer increpanda, ut cum culpa ab (a) auctore non cognoscitur, quanti sit ponderis, ab increpantis ore sentiat. Et cùm sibi quis malum quod perpetravit levigat, hoc contra se graviter ex corripientis asperitate pertimescat. Debitum quippe Rectoris est supernæ patriæ gloriam per vocem prædicationis ostendere, quanta in hujus vitæ itinere tentamenta antiqui hostis lateant aperire, & subditorum mala quæ tolerari leniter non debent, cum magna zeli asperitate corrigere; ne si minùs contra culpas accenditur, culparum omnium reus ipse teneatur. Unde bene ad Ezechielem dicitur: *Sume tibi laterem, & pones eum (b) coram te, & describes in eo civitatem Jerusalem.* Statimque subjungitur: *Et ordinabis adversus eam obsidionem, & edificabis munitiones, & comportabis aggerem, & dabis contra eam castra, & pones arietes in gyro.* Eique (c) ad munitionem suam protinus subinfertur: *Et tunc sume tibi sartaginem ferream, & pones eam murum ferreum inter te & inter civitatem.* Cujus enim Ezechiel Propheta nisi magistrorum spe-

Quinam
sint vehe-
menter
increpan-
di.

Qui con-
tra culpas
minùs ac-
cenditur,
earum
reus.
Ezech. 4. 1.

(a) Laud. auctore.

(b) Carnot. secundus, contra te.

(c) Corb. ad munitionem.

speciem tenet? Cui dicitur: *Sume tibi laterem, & pones eum coram te, & describes in eo civitatem Jerusalem.*

His qui ad christiana-
nam vi-
tam insti-
tuunt
quot præ-
standa.

Docent
quæ aper-
ta vitio-
rum præ-
stata me-
tuenda,
quæ oc-
cultas.

Quo vir-
tutum inu-

Sancti quippe doctores sibi laterem sumunt, quando terrenum auditorum cor, ut doceant, apprehendunt. Quem scilicet laterem coram se ponunt; quia tota illud mentis intentione custodiunt. In quo & civitatem Jerusalem jubentur describere; quia prædicando terrenis cordibus curant summopere quæ sit supernæ pacis visio demonstrare. Sed quia incassum gloria patriæ cælestis agnoscitur, nisi & quanta hinc irruant hostis callidi tentamenta noscantur, aptè subjungitur: *Et ordinabis adversus eam obsidionem, & edificabis munitiones.* Sancti quippe prædicatores obsidionem circa laterem, in quo Jerusalem civitas descripta est, ordinant, quando terrenæ menti, sed jam supernam patriam requirenti, quanta eam in hujus vitæ tempore vitiorum impugnet adversitas demonstrant. Nam cum unumquodque peccatum quomodo proficientibus infidietur ostenditur, quasi obsidio circa civitatem Jerusalem voce prædicatoris ordinatur. Sed quia non solum debent innotescere qualiter vitia impugnent, verum etiam quomodo custoditæ nos virtutes roborent, rectè subjungitur: *Et edificabis munitiones.* Munitiones quippe sanctus prædicator ædificat, quando quæ virtutes quibus resistent vitiis demonstrat. Et quia crescente virtute, plerumque bella tentationis augentur, rectè adhuc additur: *Et comportabis aggerem, & dabis contra eam.*

eam castra, & pones arietes in gyro. Agge-
 rem namque comportat, quando prædica-
 tor quisque molem crescentis tentationis
 enuntiat. Et contra Jerusalem castra eri-
 git, quando (a) rectæ intentioni audien-
 tium hostis callidi (b) circumspēctas & qua-
 si incomprehensibiles insidias prædicit. At-
 que arietes in gyro ponit, cū tentatio-
 num aculeos in hac vita nos undique cir-
 cumdantes, & (c) virtutum murum per-
 forantes innotescit.

nitiones
 necessa-
 ria.

Sed cuncta hæc licet subtiliter Rector Pastor ze-
 insinuet, nisi contra delicta singulorum lo ferveat.
 æmulationis spiritu ferveat, nullam sibi in
 perpetuum absolutionem parat. Unde il-
 lic adhuc rectè subjungitur: *Et tu sime tibi*
sartaginem ferream, & pones eam murum fer-
reum inter te & inter civitatem. Per sartagi-
 nem quippe frixura mentis, per ferrum
 verò increpationis fortitudo signatur.
 Quid verò acrius doctoris mentem, quàm
 zelus Dei frigit & excruciat? Unde Paulus
 hujus sartaginis urebatur frixura, cū di-
 ceret: *Quis infirmatur, & ego non infirmor?*
quis scandalizatur, & ego non uror? Et quia
 quisquis zelo Dei accenditur, ne damnari
 ex negligentia debeat, forti in perpetuum
 custodia munitur, rectè dicitur: *Pones eam*
murum

2. Cor. II.
 29.

(a) Corb. *recta intentione.*

(b) Gemet. & tertius Carnot. *incircumspēctas.*
 Hanc lectionem amplexi sunt Gilot. Vatic. ac ce-
 teri edit. præter Gussanv. quem sequimur præcun-
 tibus miss. Anglic. Trec. Corb. &c.

(c) Carnot. secundus, & *virtutem muri.*

murum ferreum inter te & civitatem. Sarta-
go enim ferrea murus ferreus inter Pro-
phetam & civitatem ponitur; quia cum
nunc fortem zelum Rectores exhibent,
eundem zelum postmodum inter se & au-
ditores suos fortem munitionem tenent:
ne tunc ad vindictam destituti sint, si nunc
fuerint in correptione dissoluti.

Non ta-
men im-
modera-
to, sed
circum-
specto.

Proxi-
mum ne
incaute
occidat.

Deut. 19.
v. 4. & 5.

Sed inter hæc sciendum est, quia dum
ad increpationem se mens doctoris exasperat,
difficile valde est, ut non aliquando &
ad aliquid quod dicere non debet, erumpat.
Et plerumque contingit, ut dum culpa
subditorum cum magna invectione corripitur,
magistri lingua usque ad excessus
verba pertrahatur. Cumque increpatione
immoderate accenditur, corda delinquentium
in desperatione deprimuntur. Unde
necesse est, ut exasperatus Rector, cum
subditorum mentem plus quam debuit percussisse
considerat, apud se semper ad pœnitentiam
recurrat; ut per lamenta veniam
in conspectu veritatis obtineat, ex eo
etiam quod per zeli ejus studium peccat.
Quod figurate Dominus per Moysen præcipit,
dicens: *Si quis abierit cum amico suo
simpliciter in silvam ad ligna cædenda, & lignum
securis (a) fugerit manu, ferrumque lapsum
de manubrio amicum ejus percusserit & occiderit,
hic ad unam supradictarum urbium (b) fugiet,
& vivet: ne forte proximus ejus, cujus effusus est
sanguis, doloris stimulo persequa-*

(a) Tres Gemet. & primus Aud. *fugerit manum*.

(b) Al. *fugiar*, ut est in trib. Gemet.

(a) Corb.

quatur & apprehendat eum, & percutiat animam ejus. Ad silvam quippe cum amico imus, quoties ad intuenda subditorum delicta convertimur. Et simpliciter ligna succidimus, cum delinquentium vitia pia intentione refecamus. Sed securis (a) manu fugit, cum sese increpatio plus quam necesse est in asperitatem pertrahit. Ferrumque de manubrio profilit, cum de correptione sermo durior excedit. Et amicum percutit & occidit, quia auditorem suum prolata contumelia à spiritu dilectionis interficit. Correpti namque mens repente ad odium proruit, si hanc immoderata increpatio plus quam debuit addicit. Sed is qui incaute ligna percutit & proximum extinguit, ad tres necesse est urbes fugiat, ut in una earum defensus vivat: quia si ad poenitentiae lamenta conversus, in unitate sacramenti sub spe, & caritate absconditur, reus perpetrari homicidii non tenetur. Eumque extincti proximus & cum invenerit non occidit: quia cum districtus iudex venerit, qui sese nobis per naturae nostrae consortium junxit, ab eo procul dubio culpae reatum non expetit, quem sub ejus venia fides, spes, & caritas abscondit.

Hujus homicidii quae agenda poenitentia.

CAPUT XI.

Quantum Rector sacrae Legis meditationibus esse debeat intentus.

SEd omne hoc rite à Rectore agitur, si Al. xxii. supernae formidinis & dilectionis spiritu

(a) Corb. cum Norm. *manuum fugit.*

(a) Car-

ritu afflatus, studiose quotidie sacri eloquii præcepta meditetur: ut in eo vim sollicitudinis, & erga caelestem vitam providæ circumspeditionis, quam humanæ conversationis usus indefinenter destruit, divinæ admonitionis verba restaurent: & qui ad vetustatem vitæ per societatem secularium ducitur, ad amorem semper spiritalis patriæ compunctionis (a) aspiratione renovetur. Valde namque inter humana verba cor defluit: cumque indubitanter constet quod externis occupationum tumultibus impulsus à semetipso corruat, studere incessabiliter debet, ut per eruditionis studium resurgat. Hinc est enim quod prælatum gregi discipulum Paulus admonet, dicens; *Dum venio attende lectioni.* Hinc David ait: *Quomodo dilexi legem tuam Domine, tota die meditatio mea est.* Hinc Moysi Dominus de portanda Arca præcepit, dicens: *Facies quatuor circulos aureos, quos pones per quatuor Arcæ angulos, faciesque vectes de lignis sethim, & operies auro, inducesque per circulos qui sunt in Arcæ lateribus, ut portetur in eis, qui semper erunt in circulis, nec unquam extrahentur ab eis.* Quid per Arcam, nisi sancta Ecclesia figuratur? Cui quatuor circuli aurei per quatuor angulos jubentur adjungi: quia in eo quod per quatuor mundi partes dilatata tenditur, proculdubio quatuor sancti Evangelii libris accincta prædicatur. Vectesque de lignis sethim fiunt, qui eisdem ad portandum circulis inferuntur: quia for-

Inter hu-
mana ver-
ba cor
defluit.

I. Tim. 4.

13.

Psal. 118.

97.

Exod 25.

v. 12. &c.

Per Arcam
adumbra-
tur Eccle-
sia.

(a) Carnot. tertius, *asperitate renovetur.* Longip. *revocetur.*

(a) Ita

fortes perseverantesque doctores velut imputribilia ligna quærendi sunt, qui instructioni sacrorum voluminum semper inhærentes, sanctæ Ecclesiæ unitatem denuntiant, & quasi (a) intromissi circulis Arcam portent. Vectibus quippe Arcam Per vestes Arcæ, Doctores. portare, est bonis doctoribus sanctam Ecclesiam ad rudes (b) infidelium mentes prædicando deducere. Qui auro quoque jubentur operiri, ut dum sermone aliis insonant, ipsi etiam vitæ splendore fulgescant. De quibus aptè subditur: *Qui semper erunt in circulis, nec unquam extrahentur ab eis.* Quia nimirum necesse est, ut qui ad officium prædicationis excubant, à sacræ lectionis studio non recedant. Ad hoc namque vectes esse in circulis semper jubentur, ut cum portari Arcam opportunitas exigit, de intromittendis vectibus portandi tarditas nulla generetur: quia videlicet Pudeat eos, cum consuluntur, quid respondeant ad discere. cum spiritale aliquid à subditis Pastor inquiritur, ignominiosum valde est si tunc quærat discere, cum quæstionem debet enodare. Sed circulis vectes inhæreant, ut doctores semper in suis cordibus eloquia sacra meditantes, testamenti Arcam sine mora elevent, si quidquid necesse est, protinus docent. Unde bene primus Pastor Ecclesiæ Pastores ceteros admonet, dicens: *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea (c) quæ in vobis est spes.* I. Petr. 3. 15. Ac si

(a) Ita Trec. Laud. Gemet. &c. In editis, *intromissis*, contra S. Scripturæ sensum.

(b) Carnod. iecundus, *fidelium*.

(c) Trec. Theod. & Corb. *quæ in vobis est spes.*

(a) In

si apertè dicat: Ut ad portandam Arcam
nulla mora præpediat, vectes à circu-
lis numquam recedant.



(a) TERTIA PARS.

QUALITER RECTOR BENE
VIVENS DEBEAT DOCERE ET
ADMONERE SUBDITOS.

PROLOGUS.

AL. XXIII. **Q**uia igitur qualis esse debeat Pastor
ostendimus, nunc qualiter doceat,
demonstremus. Ut enim longè ante nos
reverendæ memoriæ Gregorius (b) Na-
zianzenus edocuit, non una eademque cun-
ctis exhortatio congruit, quia nec cun-
ctos par morum qualitas astringit. Sæpe
namque aliis officium, quæ aliis profunt,
Quia & plerumque herbæ quæ hæc anima-
lia nutriunt, alii occidunt: & lenis sibilus
equos mitigat, catulos instigat. Et medi-
camentum quod hunc morbum imminuit,
alteri vires jungit: & panis qui vitam for-
tium roborat, parvulorum necat. Pro
quali-

Orat. I.

Non una
omnibus
adhorta-
tio adhi-
benda.

(a) In Trec. Corb. & plur. ver. mss. hic titulus
abest, & quæ sequuntur, caput. 23. componunt. In
Longip. legitur: *Explicit liber primus, incipit liber
secundus. cap. xx.*

(b) Trec. & Corb. *Nazianzenus.*